

una et eadem moraliter est bonitas utriusque actus. Quando autem in actu exteriori invenitur alia bonitas ex proprio genere, tunc non est una, et eadem, licet ex ista redundet in aliam, et e converso.

In articulo quarto ex eodem principio ostendit, quod bonitas, vel malitia actus exterioris non addit supra bonitatem actus interioris, quantum ad id quod ab illa participat, nisi contingat actum exteriorem duplicari, seu multiplicari, aut continuari, seu extendi vel magis intendi præ alio. Bonitas tamen, vel malitia quam habet actus exterior ex proprio genere addit supra bonitatem, vel malitiam, quam habet ex fine, seu ex actu interiori: licet non diminuatur meritum, si homo, existente voluntate interiori perfecta, solum ex defectu possibilitatis non operetur.

In articulo quinto docet, quomodo eventus sequens, verbi gratia damnatum secutum addat de bonitate, vel malitia super actum exteriorem. Et distinguit, quia vel ille eventus est præcogitatus, vel non. Si est præcogitatus, et tamen non propter hoc dimittitur actus, ex hoc reddit voluntatem magis deordinatam, et sic addit malitiam. Si autem non est prævisus, adhuc subdistinguit, quia vel talis eventus sequitur ex tali re per se, et ut in plurimum; vel per accidens, et in paucioribus. Primo modo addit ad bonitatem, vel malitiam, quia est illi actui annexum, et tenebatur prævidere. Secundo modo non addit, quia quæ sunt per accidens non cadunt sub regula.

In articulo sexto docet unum, eundemque actum in genere moris non posse simul esse bonum, et malum, bene tamen potest esse unus in genere naturæ, seu entitative, et esse bonus et malus.

QUÆSTIO XXI.

DE HIS QUÆ CONSEQUUNTUR ACTUS HUMANOS RATIONE BONITATIS ET MALITIÆ.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo docet actum humanum ex eo, quod sit bonus, vel malus sortiri ratione et rectitudinis, vel peccati. Dicitur enim actus rectus ex eo quod concordat fini, qui est ejus mensura; dicitur autem peccatum, quia obliquatur a tali fine, et quasi curvatur ad se. Actus autem voluntarius est bonus, et perfectus ex fine, malus autem ex privatione, seu defectu ipsius. Ergo rectitudo, vel peccatum consequuntur in actibus humanis ex bonitate et malitia.

In articulo secundo docet sequi ex eisdem actibus rationem laudabilis, vel vituperabilis. Laus enim, et vituperium ex hoc convenit actui, quia imputatur agenti. Imputatur autem actus, quia est in potestate libera voluntatis, et facit; ergo in voluntariis malum, et bonum constituunt rationem laudabilis, et vituperabilis.

In articulo tertio ostendit sequi rationem meriti, vel demeriti ad actum humanum ut est bonus, vel malus. Etenim meritum, vel demeritum pertinet ad retributionem. Retributio autem debetur actui prout se habet ad alterum, in cujus profectum, vel nocumentum agit. Cum ergo homo vivat

in societate, ex eo quod bene, vel male agit, sive respectu alterius singularis personæ, sive respectu totius communitatis, sive respectu sui, debetur ei retributio a communitate, vel ab altero, qui præest communitati quia est pars illius communitatis.

In articulo quarto ostendit specialiter omnes actus humanos habere rationem meriti, vel demeriti apud Deum; tum ratione ipsius, quia est finis ultimus, qui debitum est, ut ordinentur in illum omnes actus; tum ratione communitatis, quia est supremus rector totius universi, et totius entis, unde quidquid agit pars universi debet sibi retribui a Domino totius universi, et gubernatore illius, quia omni parti universi providet juxta quod cedit in bonum, vel malum illius.

DISPUTATIO VIII.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

*Quid sit moralitas secundum se, et
in communi sumpta?*

I. Morales actus hic vocamus actus humanos, qui sunt proprii hominis in quantum homo est, id est, prout agitur, et regulatur ratione. Est enim proprium hominis agere per voluntatem, et rationem, eo quod in quantum homo est rationalis, et in quantum rationalis est præditus duplici potentia, intellectu scilicet et voluntate, ideoque ut supra dixit S. Thomas, quæst. 1, art. 1 et 3: « Actus dicuntur humani in quantum procedunt ex voluntate deliberata, » id est, ex voluntate per advertentiam rationis directa, et disposita. Et quia mores proprie conveniunt homini, dicente Ambrosio præfatione in Lucam, prope finem: « Quod mores proprie dicuntur humani », ideo communi theologorum usu receptum est humanos actus vocare morales, id est, ad mores spectantes. Licet enim in brutis assuetudines reperiri possint, quia addiscere, et disciplinari possunt, et per frequentationem actuum suas

explicant, et acquirunt habilitates, ut in canibus, aliisque animalibus videmus, tamen illæ consuetudines proprie non dicuntur mores, quia non sunt tales, quod inducant laudem, vel vituperium meritum, aut demeritum, quod tamen proprie debetur moribus, et ideo mores proprie ad homines pertinent, dicuntur enim mores laudabiles, aut vituperabiles, si mores sint.

II. Difficultas ergo est, quod sit in actibus humanis ista moralitas, et in quo consistat. Et loquimur de moralibus, sicut de artificialibus. In artefactis enim invenitur, et materia ex qua fit artefactum, et forma qua formatur, et perficitur; idemque in moralibus invenire est, quæ sunt actiones mensurabiles a ratione, sicut artificiales ab arte. Agibilia enim diriguntur a prudentia, et factibilia ab arte: et in factibilibus tamquam in materia introducit forma artis, scilicet ordo, aut dispositio, vel figura partium; et in factibilibus introducitur directio, et ordo ad regulam rationis, quam respicit prudentia, et materia talis directionis sunt actus liberi, et voluntarii, qui soli sunt capaces illius regulationis: inde actus regulati, vel dissoni a regula dicuntur, et hoc est esse morales, id est, regulis morum subjecti, aut ab eis deficientes.

III. Est autem punctus difficultatis in duobus. Primum, an in acti-

bus moralibus ratio liberi sit solum aliquid præsuppositum, et ex parte materiæ se tenens; an vero sit ipsum formale constitutum moralitatis. Secundum, an ista moralitas sit aliqua habitudo, vel ordo intrinsecus ipsis actibus; an solum extrinseca denominatio, quæ invariato actu possit variari.

SENTENTIÆ PROPONUNTUR.

IV. Circa primum punctum est duplex principalis sententia, et quælibet illarum varios habet sensus, et diversimode explicatur a suis auctoribus. Prima affirmat, libertatem non se habere præsuppositivam ad moralitatem actuum, sed formaliter. Quam sententiam Curiel hic dubio primo pluribus antiquis doctoribus attribuit, scilicet Scoto, Durando, Henrico, Conrado, Soto, et aliis. Sed tamen isti auctores non ita clare distinguunt de moralitate actus pro formali, vel pro præsupposito, et materiali, sed loquendo de actu in esse naturæ, et in esse moris dicunt, in esse naturæ non considerari quatenus liberum, sed in esse moris debere esse liberum. In quo tamen adhuc locus datur, ut dici possit actum moralem debere quidem esse liberum, ut distinguitur ab actu solum in esse naturæ, non tamen in hoc solo consistere formaliter, sed addere habitudinem ad regulas rationis, et talis habitudo comparari potest formaliter ad rationem liberi. Unde Conradus super articulum quintum hujus quæstionis docet differentias boni, et mali non contrahere actum liberum tamquam quid commune, seu quasi genus, sed addere ipsi habitudinem conformitatis, vel difformitatis ad rationem, tamquam subjecto. Et sic videtur ponere libertatem ex parte

subjecti, et præsuppositi ad moralitatem.

V. Nec ab isto sensu abhorre videtur Scotus qui in primo, dist. xvii, quæst. i, censet habitum non esse genus ad vitium, et virtutem, sed subjectum, quia moralitas ratione ejus dicitur virtus, vel vitium extrinsece illi advenit. Et idem proportionabiliter sentit de actu sumitur fundamentum ad habitum, quia illi similis est, et actu mutari potest ex aliquo extrinseco, verbi gratia ex lege superveniente, aut ex aliqua circumstantia de bono in malum. Quod vero ista extrinseca moralitas sit ipsa sola ratio libertatis Scotus non dixit, nec ibi, nec quæstione xviii quodlibetica, littera r, sed in locis rationem moralis bonitatis in relatione, vel pluribus relationibus constituit; et principaliter, inquit, conformitas actus ad rationem rectam plene dictantem de circumstantiis omnibus debitis illi actui est bonitas moralis actus. Non igitur principaliter, et formaliter in relatione liberi posuit Scotus moralitatem, sed in relatione ad rationem dictantem. Quam etiam relationem ad instar qualitatis denominare sicut pulchrum, aut sanum dixit prædicta quæstione xviii quodlibetali. Quo nomine an significet esse relationem intrinsecam, et realem in actu; an vero solum sufficiat esse extrinsecam denominationem pulchrum, aut sanum dixit prædicta quæstione xviii quodlibetali. Quo nomine an significet esse relationem, intrinsecam, et realem in actu; an vero solum sufficiat esse extrinsecam denominationem, aliorum judicium esto. Mihi enim multum videtur Scotus accedere ad sententiam, quæ ponit moralitatem in aliquo intrinseco non absoluto, sed relativo, nec in locis citatis invenietur, quod dixerit esse aliquid rationis, licet dicat actum immuta-

tum in se suscipere illas denominationes, scilicet immutatum entitative, non respective, et secundum istas habitudines.

VI. Orta tamen ex hoc fuit divisio inter auctores hujus sententiæ. Nam quidam ponunt divisionem actus in bonum, et malum esse divisionem subjecti in accidentia, et assignant pro subjecto actum voluntarium, et liberum, sicut etiam in habitu assignat Scotus ipsum pro subjecto, quod dividitur in bonum, et malum morale, ut in accidentia, non sicut genus in specie. Alii putant divisionem hanc actus in bonum, et malum esse generis in species. Et sic rationem liberi pro genere morali constituunt, ita ut moralitas in communi non sit aliud, quam libertas. Rursus dividuntur in explicando, quid sit ista libertas, in qua dicunt consistere moralitatem. Nam quidam dicunt esse libertatem ipsius actus. Alii dicunt sufficere libertatem potentiæ, etiamsi non detur in ipso actu libertas. Et talis libertas potentiæ non explicata in actu (inquiunt hi auctores) respicit actum ipsum extrinsece, quia potentia ordinem dicit ad actum. Sed libertas, quæ est in actu ab aliquibus dicitur, quod est aliquid intrinsecum in actu, quia est ordo ipsius ad principium a quo elicitur, scilicet ad voluntatem indifferentem, et ad objectum indifferentem, a quo specificatur. Alii putant esse denominationem extrinsecam in ipso actu provenientem a judicio indifferenti, vel a duplici cogitatione a qua regulatur, quod ipsi entitati, et substantiæ actus intrinsecum non est. Licet non desint, qui libertatem dicant esse quid intrinsecum actui, non per dependentiam a judicio indifferenti, sed ad cognitionem quamdam reflexam, qua intellectus ipsummet actum voluntatis apprehendit, et de eo judicat. Ita vidimus aliquando in

hac schola Complutensi defendi, quasi etiam hæc cognitio quantumcumque reflexa non sit extrinseca entitati actus voluntatis. Sed de his statim.

VII. Secunda sententia, principalis affirmat actum moralem exigere quidem libertatem, sive in actu interno a voluntate elicitio, sive in externo, et imperato, sed hanc libertatem esse conditionem requisitam, et præsuppositam, non autem formaliter in ea consistere moralitatem, sed in conformitate, vel difformitate ad regulas rationis. Quid sit autem illa ratio communis, quæ abstrahit a conformitate, vel difformitate, et est moralitas ut sic, non facile explicatur, præsertim ab his, qui existimant formalem rationem peccati consistere in privatione rectitudinis, et non in ipso ordine ad objectum dissonum rationi, bonum autem morale consistere in tendentia positiva ad objectum consonum rationi. Hi enim non possunt assignare rationem aliquam moralitatis communem isti privationi, et illi tendentiæ.

VIII. Dividuntur ergo auctores hujus sententiæ in assignanda ista ratione superaddita actui libero, quæ sit formalis ratio moralitatis. Nam quidam dicunt esse ordinem, seu habitudinem intrinsece repletam in ipso actu morali ad suum principium, id est, ad regulas rationis, quæ in dictamine intellectus formantur secundum legem, sive ut bene, sive ut male actus fiat. Quod tribuitur Richardo in ii, dist. xli, circa secundum principale, quæstione quarta. Et aliquibus recentioribus placere docet Curiel ubi supra. Alii constituunt moralitatem in modo quodam superaddito actibus non relativo, sed absoluto, eo quod relatio non est principium operandi; habitus autem morales, prout tales, sunt principia operandi. Quod

attribuitur Cajetano infra quæst. XLIX, articulo III, §. Præterea.

IX. P. Vazquez hic disp. LV, c. II, et disp. XCV, c. X, et CXXIX, c. VII, cum aliis docet moralitatem comparari ad actum liberum, ut accidens ad subjectum, quia ipsa ratio liberi supponitur tamquam fundamentum moralitatis, si quidem actus necessarius regulabilis non est per rationem, nec est proprius hominis ut homo est. Et sic non fundat relationem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad naturam rationalem, in quo consistit ratio moralitatis, quam esse regulabilitatem per rationem constat. Utrumque autem, scilicet rationem liberi, et rationem moralitatis constituit in relatione rationis, seu extrinseca denominatione in ipso actu. Nam libertas, quæ est in actu dependet ex consideratione rationis, et iudicii cum indifferentia, qua sublata non manet libertas. Moralitas autem dependet ex voluntate ponentis, vel tollentis legem, sine qua non est peccatum, quod posita lege, erat. Hoc autem totum in actu voluntatis est aliquid rationis, quia actus ille non potest respicere legem, et iudicium relatione aliqua, et dependentia reali; et a lege solum recipiunt denominationem extrinsecam.

RESOLUTIO.

X. Dico primo: In actibus moralibus libertas requiritur, non solum in ipsa potentia, sed etiam in ipso actu, ita quod ipse actus sit liber, non tamen libertas se habet ut genus moralitatis, sed ut quid præsuppositum, et materialiter requisitum, seu ex parte materiæ, quæ suscipit moralitatem, et ab ea denominatur.

XI. De prima parte conclusionis non est dubium requiri libertatem,

aut ex parte potentiæ, aut ex parte actus, quatenus moralis est, quia actus necessarius est incapax moralitatis, quia est incapax legis, et regulationis per legem factæ, et per prudentiam, et imperium, atque adeo sicut non potest ratio imperare actibus necessariis, ita nec potest moralizare illos, id est, ad morem, normamque reducere, quia ubi non est lex, nec prævaricatio, et quod est incapax mali, seu peccati, est incapax moralitatis.

XII. Cæterum aliqui auctores, ut Lorea hic, sentiunt sufficere ad actum morale, quod procedat a potentia de se libera, licet ipse actus in se liber non sit. Et dicitur, quia aliqui actus facti per ignorantiam, ut homicidium, vel incestus, licet non imputentur operanti propter ignorantiam, tamen aliquam retinent malitiam, quia non est licitum complacere in eis etiam post perpetratum actum, neque cooperari ad illos etiam ut ignoranter fiant: sicut non licet duos amentes inter se conjugere, cum tamen duo pecora liceat: ergo signum est illos actus adhuc aliquid malitiæ retinere, licet de facto non fiant libere, eo quod sufficit quod procedant ab ipsa potentia libera.

XIII. Sed hæc sententia est falsa, quia quomodocumque actus careat libertate non est capax legis, et præcepti respectu ejus, qui sine libertate actuali operatur; ergo neque est capax culpæ, et malitiæ, neque meriti, aut demeriti; ergo neque moralitatis, quia ista sunt proprietates moralitatis. Consequentia patet, quia: *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, ut inquit Apostolus; ergo quod non est capax legis, et præcepti, non est capax malitiæ, et consequenter neque moralitatis. Et sic est regula certa, quod id quod non potest imperari, non potest moralizari. Antecedens vero probatur, quia

non est capax legis, qui non est capax supplicii et pænæ, si legem non observet; vel præmii, si adimpleat: lex autem non potest imponere pœnam nisi ei, qui transgreditur legem, cum posset non transgredi tunc quando de facto operatur, ut patet, quia si quis incidat in amentiam, non punitur a lege, etiamsi retineat potentiam liberam: ergo lex non decernit supplicium, aut præmium solum pro eo, quod retinet potentiam liberam, si operationem de facto habeat necessariam. Denique motus subiti voluntatis procedunt a potentia in se libera, et tamen non sunt peccata; ergo sufficit carentia libertatis in actu, licet a potentia alia libera procedat, ut dicamus non esse capace[m] moralitatis, quia carent ratione voluntarii ad peccandum requisiti, quod est voluntarium liberum in ipso actu; alias primi motus infidelitatis, vel adulterii essent peccata, aut malitiam retinerent, quia procedunt a potentia libera, et sic essent punibiles, quia peccatum puniri debet.

XIV. Fundamentum autem Lorea non urget, quia homicidium, et incestus, si fiant sine libertate, nullam retinent malitiam in eo, qui sic operatur. Qui autem complacet in illis, etiam prout sic factis, peccat, quia ipse cum libertate, et sine ignorantia complacet in illis, et sic qui lætatur de homicidio complacet in damno hominis, quod non licet, sic enim odio haberet illum, quia vult ei malum, seu placet illi malum illius. Et qui complacet de incestu, vel adulterio sic facto, de præsentis sentit delectationem de objecto in se turpi, licet per accidens non fuerit turpiter factum, et sic non se habet sicut actus matrimonialis, qui habet in se honestatem unde placeat. Quod si ex aliquo extrinseco motivo, et non quia damnum proximi est, complacet aliquis de homicidio,

seu de morte alterius, tunc per accidens est quod fiat, vel non fiat a causa libera vel a naturali infirmitate, vel ab aliquo bruto, nam æque bene poterit ex illo extrinseco motivo complacere. Et qui delectatur de incestu per ignorantiam facto, peccare potest ratione motivi, propter quod delectatur, scilicet vel propter opprobrium mulieris, vel propter libidinosam delectationem de præsentis insurgentem, et libere a se volitam, aut non recusatam. Si vero placeat illi aliunde, scilicet ex iustitia Dei, qui id permisit propter occulta iudicia, non erit peccatum. In se autem ille actus sic ex ignorantia, aut sine libertate factus nihil retinet malitiæ prout ab istis operantibus fit. Quod autem dicitur non licere amentes conjugere extra matrimonium, non est propter malitiam illius actus, prout fit ab istis operantibus, sed propter damnum prolis inde generandæ, quia extra matrimonium procreari potest quantum est ex vi illius actus, et hoc est illicitum. Ex hac quippe ratione simplex fornicatio est mala, quia ex se ordinatur ad generationem prolis cum indebita educatione. Et similiter illa conjunctio amentium potest esse mala, si incitet de præsentis ad libidinem eos, qui talem conjunctionem procurant, aut vident. Et multo magis erit peccatum procurare emissionem seminis in illis ad generationem non ordinatam, et extra debitum vas. Quæ rationes in coitu pecorum non currunt.

XV. Secunda ergo pars conclusionis suprapositæ, scilicet, quod libertas ista in actibus requisita non se habet ut genus moralitatis, sed ut quid præsuppositum, scilicet, ut conditio tenens se ex parte materiæ, id est, ipsius actus, ut sit regulabilis a ratione, elicitur ex D. Thoma in hac quæstione XVIII, articulo V, ubi probat bonum, et malum esse